



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 32. De Baltazare Senia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

inter Indos navatam operam, quod iracundiam non satis frenaret, interjecto tempore alterius Ordinis Institutum, Societatis permisum, amplexus est. In hoc etiam laudandus, quod tota vita, Societatis estimator, pristino gradu non sine lacrymis ac tenerimo sensu ubique se indignum praedicarer. Ideo bonam mortem Cordubæ Tucumanorum in senectute sortitus est. Vincentio Griffio successit Didacus Boroa, & Baltazaris Seniae morte precox sublato Joannes Salas. quorum laborum magnitudinem inde conjicies, quod sesquianno quingenta supra mille capita Sacramentis expiata in his oppidis pestis absumperit. Sed quavis peste gravior imminebat miserorum capitibus quorundam vexatio, adeo pertinax, ut, quamvis Senatus Regius & Archiepiscopus juberent leges Regias, quoad servitia, servari, non decesserent qui his refragarentur. Cumque Societas negaret posse se connovere indorum iniuriis, iussu Majorum stationem, continua litibus obnoxiam, biennio postquam iniverat, deseruit.

**P**RIDE quam abirent, Baltazaris Seniae ossa secum ad Assumptionis Colle-  
gium transportanda Socii clam effodere tentantes, ab indi prohibiti sunt, misericordiam suam inconsolabiliter deplorantibus: *An non, aiebant, satis miseri sumus vestro, o Patres, discessu, ut etiam velitis nos carissimi animarum nostrarum parentis exuvias privare? quam spem tandem habebimus, si defunctorum aquæ ac vivorum per-  
fugio carere cogamus?* dictis addidere gestus planè lamentabiles, adeo ut doloris por-  
tio redundaret in Socios, amarissimo fletu filiorum, quos in Christo genuerant, infelicitatem prosequentes. Post Sociorum discessum Guarambaræ, vexationis metu, oppido suo deserto, se nemotibus, pristino more, reddidere, & in fugâ factum edidere memorabile. Nam Baltazaris Seniae Sanctitatem estimantes, ossa ejus effossa, arcâque inclusa, secum asportavere, singulis noctibus ex cera sylvestri cereos, venerationis ergo, circa lypsanothecam incendentes, donec rorulm cicurati ad Assumptionis urbem ossa deferent, ubi uterque Magistratus solemní pompâ præclaro planè viro parentavit. Id debebatur ejus integrati, jam ante initiam Societatem adeo notabili, ut ipse, memor anteacta in pueritâ vitæ, tanquam celsatorem se in Religione accusaret, solereturque conscientiarum suarum moderatoribus affirmare, felicem se fore, si aquæ piè viveret inter religiosos, ac inter sæculares olim vixerat. Nihil tamen eo fingi poterat ad institutum nostrum accommodatius, sive corporis modestiam, verborum parcitatem, prudentiamque, sive cæteras animi virtutes spectantes. Dum adhuc viveret, Guarambarorum Duci & ejus uxori in somnis appatuisse, ac utrumque invitasse, ut se aptari sinerent ad primam Venerabilis Sacramenti sumptionem, litteris ad Provincialem datis Didacus Boroa author est. In ultimo morbo, in summâ rerum omnium inopia, ne buccella quidem panis reperta, quæ appetenti daretur, adeo ut Xaverianam mortem aliquousque adumbrasse putatus sit.

**A**NNO currentis saeculi decimo-quarto, comitiis Provincialibus Cordubæ celebratis, plurium suffragiis electus est Joannes Viana, qui Madritum apud Regem Catholicum, & Romam apud Societatis Generalem res Provinciae & sub-  
sidarios Socios procuratum iret. Sub finem ejusdem anni, Claudi Aquavivæ Generalis litteræ aperte sunt, quibus Petrus Oniatus Paraquaria Provincialis designabatur. In qua Provincia fundandâ supra septennium Didacus Torres æquali successu ac labore posuit. Cujus si res gestas, itinera, terræ molem consideres, longè plurium annorum opus affirmabis. Provinciam iniens, quatuordecim tantum Socios in uno Collegio, ac tribus domiciliis, per Chilense regnum, Tucumaniam & Paraquariam sparsos reperit. Successori unum supra centum in novemdecim stationibus reliquit. Quis credat tantillo tempore, tantillis copiolis tres amplissimas Provincias, octingentis & quinquaginta leucis in longum protensa (nam id intervallum inter Chiloënsem sedem & Guairanæ ultimum oppidum intercedit) & utrumque mare, Atlanticum scilicet & Pacificum, quâdam quasi domorum serie connecti potuisse. Chiloënes, ultimi fermè terrarum populi, per-

Pestis.

Servitium  
personale.CAPUT  
XXXII.  
De Baltazaris  
Seniae.Cadaver  
ejus affirma-  
tum;Et honora-  
tum.Baltazaris  
Seniae virtu-  
tes.CAPUT  
XXXIII.  
De sedibus  
novæ Para-  
quariensis  
Provincie.Joanne Via-  
na procura-  
tor.Provincia  
magnitudo.